

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Consideratio status damnatorum, quod actiones ipsorum
in primis malas, concernit**

Fecht, Johann

Durlaci, 1680

XXXVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122744](#)

id, quod Divinæ literæ virtute saltem & potestate complectuntur. Ejusdem enim valoris esse, quæ litera Scripturæ & sensus per liquidissimas consequentias elicitus, enunciant, ex inductione plurimorum fidei articulorum & praxi Christi atque Apostolorum evidenter constat. Origenes ad locum illum; *nesciis scripturæ*, annotat: *Sufficit ad arguendum errorem Sadduceorum, quod nesciebant Mosaicæ legis Scripturas, ex eo, quod divinum sensum earum, (quem Scholastici revelationem virtualem vocant) non scrutabantur.* Tract. XXII, in Matth. p. 110.

XXXVI. Secundò, alii peccati labi infectos esse damnatos, sed habituali tantum, cuiusmodi Augustinus malam voluntatem vocat, non actuali censem. Sententiam horum luculenter expressit Bonaventura. Arbitrantur enim pœnarum atrocitate fieri, ne in actum erumpere vitiosum peccandi desiderium possit. Secundum hos neque murmurare damnati adversus DEUM, neque blasphemare justitiam ejus valebunt, sed pœnarum vinculis constricti neque explicare in sceleratos actus membra sua poterunt, neque volent etiam, ob vim cruciatum perpetuo duraturam.

XXXVII. Tertiò: Suni, qui ne habituali peccatum quidem in damnatis esse statuant. Omnia clarissime, quantum mihi constat, hoc ex Sanfordo afferit Robertus Parkerus: *At peccare, inquietas, damnati possunt, et si agere non possunt, habitu nimis & voluntate, et si in actum prorumpere ille habitus nequeat. Negare videtur Bonaventura, voluntatem in damnatis peccandi ullam esse.* Id quod & S. Literarum & Doctorum Ecclesiasticorum auctoritate probare annuitur. Quâ de re suo loco judicabimus.

XXXIX. Quartò: In alterum extremum præcipites labuntur alii, qui nefanda sclera & flagitia, velut odium Dei, blasphemiam, invidiam, impatientiam, cæteraque ejus generis, damnatis non attribuunt duntaxat, sed argumentis propugnant; nihilominus tamen veri generis peccata hæc talia in damnatis esse negant. Albertus Magnus dist. L. lib. IV. art. I. probat, *damnatos homines vel animis non peccare in inferno;* Art. II. idem de dæmonibus profitetur: & tamen art. VI. rationibus disputat, *quod damnati & dæmones odiant DEum, non quidem, quatenus DEus absolute consideratur, sed tamen, quâ consideratur pro justitiâ, judicante pro meritis.* Videri posset haec